

feri potest, intra unius diei spatium, parochus, etsi alius sacerdos eius vice nuptiis adstiterit, easdem in libro ad hoc destinato describat ad formam Ritualis Romani, notando diem, mensem et annum, non arithmetice notis, sed expressis omnino verbis¹. Mandamus etiam, ut quoties Sacerdos ex delegatione Ordinarii vel parochi assistat matrimoniis, statim transmittat ad proprium parochum testimonium matrimonii celebrati, cum mentione delegationis habitae.

600. Si quando contigerit aliquod impedimentum dirimens detegi ipso die quo contrahendum est matrimonium, dum omnia ad nuptias sunt parata, earumque celebratio differri non potest sine gravi incommodo, tunc si impedimentum est publicum, parochus nullo modo admittere potest sponso ad contrahendum, remque totam Episcopo vel eius delegato sine mora significet. Si vero impedimentum sit occultum, adeo ut nuptiae impediri aut differri absque gravi scandalo nequeant, donec dispensatio legitima obtineatur, parochus vel confessarius iis in angustiis constitutus sequatur doctrinas probatorum auctorum et praesertim S. Alphonsi de Ligorio (Theol. mor. l. 6. n. 613).

¹ Cfr. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2. art. 10.

TITULUS VI.

DE SACRAMENTALIBUS

CAPUT UNICUM.

601. Sacramentalia dicuntur, quae cum Sacramentis aliquam similitudinem habent; sunt enim res aut actiones ab Ecclesia institutae aut adhibitae, ad quosdam effectus praesertim spirituales producendos. Huiusmodi sunt: 1) Ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia utitur, sive in administratione Sacramentorum, sive in deputazione rerum vel personarum ad certum cultum vel ministerium, ut consecratio aedium sacrarum, altarium, calicum, consecratio Virginum, benedictio Abbatum, sacratio regum, prima tonsura etc.; 2) Benedictiones et exorcismi, extra Sacramentorum dispensationem; 3) Res sacrae vel benedictae, quibus vis aliqua salutifera adnexa est, ut aqua lustralis, *Agnus Dei*, palmae et cerei benedicti etc.; 4) Pia quaedam exercitia, ut oratio dominica, *Confiteor*, eleemosyna, lotio pedum in feria V maioris hebdomadae, etc.

602. Sacramentalia sanctificandi vim certe non habent, quae Sacramentis inest a Christo Domino institutis; attamen, si ea pie adhibemus, ex iis precibus, quibus res consecravit Ecclesia, ut docet S. Thomas (p. 3. q. 87. art. 3), et venialium peccatorum remis-

sionem, et, per modum impetrationis, actuales gratias obtinemus, hostes animae nostrae profligamus; atque etiam multa corporis bona per ea largiri solet benignissimus Deus.

603. In collatione Sacramentalium, omnino serventur canonicae praescriptiones et decreta S. Rituum Congregationis ¹. In dubio de liceitate alicuius usus, qui ad Sacramentalia revocari debet, recurrendum erit ad Sanctam Sedem, expositis omnibus rerum adiunctis.

604. Curent concionatores praesertim et parochi fidelibus exponere Sacramentalium, eorum potissimum quae frequentiora sunt, naturam, significationem, effectum, rectumque eorum usum, remota omni superstitione et temeraria fiducia. Et omnes animarum rectores faciles se praebent, ut suorum fidelium necessitatibus subveniant per huiusmodi remedia spiritualia.

¹ Cfr. Mach, Tes. del Sac. ed. 12, n. 463 seq. ubi de Benedictionibus.

TITULUS VII.

DE INSTITUTIONE CLERICORUM

CAPUT I.

De electione et praeparatione puerorum ad statum clericalem in Seminario.

605. Inter tot gravissimas necessitates, quibus Ecclesia Dei in nostris amplissimis regionibus premitur, quae non pastorum modo, sed et fidelium animum magis commovere ac zelum excitare debent, ea utique est quae exigit, ut summa cura institutioni provideatur clericorum. Luctuosa enim experientia docet, ubi in educandis et instituendis clericis deficitur, ibi in populorum moribus informandis parum profici. Proinde, circa clericorum institutionem, Nobis decernere visum est, quae in sequentibus capitibus enunciantur.

606. Venerandam clericalis status atque sacerdotii dignitatem et honorem nemo sibi sumat, nisi qui vocatur a Deo, tamquam Aaron ¹. Domini enim est eligere quos vult esse suos, suorumque mysteriorum dispensatores.

607. Satagant itaque parochi et confessarii, ut qui pueri atque adolescentuli a Deo in opus ministerii vocati esse apparent, eos a sacculi contagiis arceant,

¹ Ad Heb. v. 4.